CAVEA INCAUTO

BACCHANALI LUSUI & LUXUI PARATA;
Olim
HENRICUM DUCEM LEGNICENSEM
EX SARMATICIS REGALIBUS AQVILIS PORPHYROGENITUM

INCLUDENS;

nunc alieno periculo cautiores faciens
Bacchantes lucifugas sub triduum Carnisprivij noctuas;
qvibus ad Cautelam inter Theatrales ignes detecta
Ab Illustrissima, Perillustri ac Magnifica Oratoriæ facultatis Iuventute,
In Regio Jagellonico Archigymnasio Collegij Varsaviensis SOC: JESU,
Anno
Mortis Caveam perfringentis Aqvilæ Magnarum alarum
M DCCXVIII.
die 26 Februarij.

EPITOME HISTORICA

AUcupem esse Bacchum quis ibit inficias! sunt illi suæ insidiæ, casses, Viscus ad fascinandos oculos pennatorum, sunt caveæ qvibus incautas aucupatur & captivat volucres. Expertus id suo malo, ducens in bonis dies suos Henricus Dux Legnicensis, é Regibus Poloniæ ducens Sangvinem non animum belligerum. Nam in Capuanas pronior delicias cum Annibale ejusdem fatum subijt. Vetus illi intercesserat odium ac æmulatio cum Conrado Glogoviensi Duce in omnes captivandi Henrici artes & stratagemata intento ac pervigili. Porrò erat Henrico perquam familiaris Loticus Nobilis Sarmata, cujus insontem Patrem Pacoslaum perduellionis insimulatum capite plecti jusserat Henricus fermé in conspectu Filij: nullis beneficijs, nullis munerum honorumq; quotidianis auctuarijs, hoc vulnus sanari ac obliterari potuit in Lotici pectore: igitur commodam nactus occasionem Loticus, cum Henricus ad Thermas propè Odram indulgeret genio, ac lautissimis epulis aulam recrearet, in ipso illecebrarum æstu gustuque primo, á Lotico proditur, traditur, capitur, caveæ includitur novus Sarmatiæ Bajázetes, ac demùm Conrado Principi, hæc avis cum sua Cavea transmittitur. Toto sex Mensium intervallo carcerem illum ferens Henricus, misera voluptatis luscinia, in cavea sua veterem illam concinebat stropham Aqvilis Sarmaticis, caveam esurialem arctioris jejunij ad septem hebdomadas subeuntibus: *à Bacchi illecebris à caveaq; cave.* *Mathias de Michovia lib. 3. CAP. 64.*

ARCHI

ARCHIPROLOGUS

FOrtuna Principum è ruderibus antiqvissimæ Crusviciensis Regiæ Piasti rotam eruit, eamq; inflammatam volvendo, voce tonitrui in rota resonante, totam fatorum revolutionem & funestam Henrici Catastrophen decantat, *quàm proxima sit semper magna sors magna ruina*

PROLOGUS

LUxus Architriclinâ Fortunâ Mensam rotundam instituit Henrici genio, sed dum fata mappam Mensæ detrahunt, ex mensa ferrata Cavea Bajazetis comparet, in qua Tamerlanica corte inclusus præfati Imperatoris genius ingemiscit, Henricumq; præcavere lamentabiliter ingeminans, *Transeat in caveam ne Tibi Mensa cave.*

ACTUS PRIMUS

SCENA I. Henricus Ducales curas in Hercinia sylva aucupio levans, tandem venatione fessus sub arbore qviescit. Qviescenti videndum se præbet Henricus primus Imperator Auceps dictus, ob nimium venandi studium; qvi Henrico Duci prædicit eum ex Aucupe infelicem avem aliqvando futurum, caveret *spinas* sibi caveam parantes. Demum Venatico Lituo auribus admoto, terrifico clangore Henricum excitat.

SCENA 2. Henricus exterritus, clamoribus sylvam implet, aulam Venaticam per nemora sparsam convocat ex qua non nemo Doloslaus Lotici in aula Ducali primicerij Ephebus callidissimé fingit, se qvoq; eadem cum Duce vidisse, ac feralis sonitum Buccinæ tam horribilem audivisse, ut ex eo fragore penitùs auditûs sensum amisisse ac obsurduisse se testaretur. Explorant Comites fidem rei assertæ, auribus Doloslai inclamant, sed ille surdastrum scitissimé simulat.

SCENA 3. Henricus eâ Somnij scenâ tremefactus, ut anxietatem animi pellat, ulteriori indulget aucupio, Aqvilam arbori sub qva jacuerat incubantem jaculo configit & deturbat: in cujus pennis has literas cum punctis expressas reperit: H. D. L. C. I. prona in augurium aulicorum ut mos est assentatio, ex ea pennarum inscriptione, Imperium Romanorum Henrico, præsertim Loticus ominatur, ita Hieroglyphicos illos legendo characteres: *Henricus Dux Legnicensis Cæsar Imperij.* ob id detracto annulo donatus à Duce. Igitur Henricus ominosas pennas avelli jubet, & suo galero affigi. interea advolasse legatos festinos á Duce Glogoviensi Nuntius tulit.

SCENA 4. Auceps & anceps animi Henricus, nimiumq; anxius quid illud lemma Aqvilinarum plumarum portenderet, statuit adire qvendam Polonum Eremicolam in eodem Hercinio deserto latitantem Lasomieszkum, qvi in sua sylvestri Ascesi, dum pereuntium animarum præsertim Bacchanali triduo stragem meditatur, videt ferale aucupium stygiorum Actæonum, nempè qvomodo animas velut aves iam visco Voluptatum, iam cassibus vanitatum captivarent, ac càptas draconi devorandas objicerent Avernales venatores.

SCENA 5. Henricus profundam sylvam tandem eluctatus, reperit profundissimâ meditatione defixum Lasomieszkum in sua Cavea sedentem, accedit propiùs postulans sibi literale ænigma H. D. L. C. I. explanari: sed observantissimus Eremitici silentij Lasomieszkus, nutibus tantum respondet Duci, & futuros Tragicos eventus Henrici exponit nutibusq; efformat. sed cum illos intelligere & capere Auceps Dux non posset, Lasomieszkus sumpto carbone in cortice arboris delineat Caveam, verúm Sanctus Sylvarum Apelles, tam dubiâ & confusâ figurâ caveam carbonario penicillo depingit, ut potiús Coronæ Imperialis effigies, quám Cavea spectantibus esse videatur.

SCENA 6. Imperialem sibi coronam prædici autumans Henricus, lœtior ex venatione redit quasi tantâ onustus prædâ, sed dum Cæsareum sibi diadema auguratur & spe devorat, Ducalem vix non amittit Mitram; Legati enim á Conrado Duce Glogoviensi occurrunt, pro oleâ ut solent pacifici Caduceatores, fasciculum spinarum vetus Glogoviæ ex ipso Nominis Ethymo stemma, in signum belli & avellendi Ducatûs á Dominio Henrici præferentes, qvibus anteqvám publicá aure præbeat, principalibus in aula sua Ministris statụ Pacoslao & Lotico honorifice deducendos Legatos commendat.

INTERLOCUTIO
CHORUS PRIMUS.

Fastus & Astus Actæonicam instaurat Venationem. Fastus tubam inflat Venaticam, Astus vetis

disponit frendente Invidiâ, ac Henrici genium in Casses instar feræ Compellente. Demum Actæon canibus præda fit ipse suis, sub hoc schemate Ducem à suis perdendum repræsentans.

ACTUS SECUNDUS

SCENA I. Henricus priusquàm publicæ audientiæ honorem exhibeat Legatis, eosdem ut sibi conciliet, saltu Aucupum recreat: verùm hæc Hilaria luctu clauduntur. Nam Legati Glogovienses accensis Spinis bellum indicunt, incendia & excidia minitantes nisi Legnicensi Ducatu cedat sponté, in cujus rei documentum literas tradunt, his tantum literis expressas: H. D. L. C. I. qvas ita explicant: *Henrice Ducatum Linqve, Conradus Iubet.* ad tam imperiosam reqvisitionem exardescens irâ Henricus, contra jus Gentium, Legatos captivari (frustra dissvadente grandævo Pacoslao) ac publicæ caveæ includi inediâq; macerari imperat, pænâ capitis indictâ, si qvis subministrare cibum incarceratis præsumeret. Clavim carceris Lotico committit; iamq; ex Venatore Bellator, in omnem belli cum Conrado eventum tumultuarium Militem conscribi jubet.

SCENA 2. Loticus & Pacoslaus incarceratos hospites adeunt & tanquam hostes sui Principis probris convitijsq; onerant, ac lapidibus impetunt, verúm omnia ad speciem & simulatè faciunt. Nam inter jactatos lapides Pacoslaus caveæ injcit panis buccellam, cui intus clavis unà cum literis inserta latet, ad seram Carceris aperiendam. Recedit Pacoslaus, Legati fracto pane, ad frangendum Carcerem literas & clavim reperiunt, quâ caveam sibi pandunt ac incolumes elabuntur Glogoviam.

SCENA 3. Henricus accepto Nuntio de elapsis ex sua cavea Avibus in furias agitur; ac per omne nefas authorem reserati carceris investigare decernit. Igitur ut olim sanctum solitudinis *Lasomieszkum* consuluerat dum sana mens esset; ita è contra, irâ insaniens, qvendam ariolum Figlovardum percontari non veretur.

SCENA 4. Accitus impius Divinator, cujus humeris insidentes garrulæ corniculæ, re ipsa sub plumis Avernales Genij latentes ad quæsita respondent, & auribus Figlovardi responsa insusurrant. Urget Augurem Henricus, ut á suis Divinatricibus avibus expiscetur, qvisnam captivos vinculis solverit? quis sensus illorum characterum: H. D. L. C. I? qvos in tabula obiectos ita legunt sueq; garritu exprimunt; *Henrice Devita Lycæum, Cave Intimos:* sed cum molestius nomen inqvirit Ariolus, volucres eruunt Prastigiatori oculos. Henricus plenus suspicionum contra intimos curiæ suæ, Intimum sibi Pacoslaum spinis intra ungvium cōmissuras defixis torqveri Jubet. Impar tantæ laniena & dolori grandævus Aulæ Seianus, fatetur se authore captivos è cavea erupisse, proindé capitis sententiam in eum fulminat, Tityq; pænas decernit. Loticus immani Parentis lanienâ exulceratus, nihilominus dolorem dissimulat, sumendæ vindictæ meditamentis intentus.

SCENA 5. Ipso lanienæ articulo, irrepit Fraudomirus Conradi Ducis emissarius, quem in aulam Henrici Conradus contumeliâ suorum Legatorum exacerbatus subordinat ad explorandum rei statum, ut si qvos erga Henricum malé affectos repererit sibi conciliet ad tollendum è vivis vel captivandum Henricum. Fraudomirus Aucupem voces avium scitissimè exprimentem se esse simulans, Lotici familiaritati se insinuat, indignitatem & immanitatem Paternæ cædis exaggerans, Loticus indolem ad fraudes natam animadvertens, ultró in socium suæ machinationis Fraudomirum adsciscit, & suam de tollendo Henrico mentem aperit.

SCENA 6. Conferunt fidenter ad invicem cruenta consilia Doloslao adstante cunctaq; audiente, quem ut planè surdastrum suâ opinione Loticus nihil pensi habet: uti nec Fraudomirus, miræ fraudis ignarus; qvi eburneam fistulam ad fallendas aves aptam, sed intoxicatam, depromens præsentat Lotico, ut eam offerat Henrico talium vanitatum percupido ac eum è vivis tollat, sed fictè surdus Doloslaus omnia verè audiens, observansq; illicò totam seriem conspirationis prodit Henrico. Nil sinistri suspicatus Loticus accedit Ducem, novum & exquisitum Aucupēm Fraudomirum commendat Henrico. Fraudomirus vocale ebur Duci offert. Verùm Henricus iam de Machinamentis præmonitus, Lotico imperat compedes injci, ad caveas avium compingendas damnat. Fraudomirum illam ipsam Venaticam cannam inflare cogit, quam vix ori admovet, emoritur. Loticus grandem Caveam molitur, totâ Aulâ tanti Herois sorti ingemiscente, ac clám conspirante.

CHORUS SECUNDUS
INTERLOCUTIO LUDICRA.

Fortuna Aucupum more accipitrem in filo collocatum & sese librantem insomnijs exercet, non sinitq; obdormiscere, tacitâ hâc edocet Scenâ, quàm vigiles agat purpura noctes, & tenui filo pendeant Fata Henrici.

AC-

ACTUS TERTIUS.

SCENA I. Henricus qvasi de oppresso in herba tumultu triumphans, genialem mensam instruit calices singulis literis Henrici nominis signatos disponit, qui locum in mensa mutantes, fatale Anagramma efformant ex *Henricus' Hinc rues:* Idest ex poculis proximam ruinam portendunt. Contemnit hæc omina Henricus illamq; Lasomieszci proferri jubet tabulam, in qva depicta ruditer cavea, qvandam speciem Imperialis referebat coronæ: igitur plenus ambitiosæ spei, coronam Imperij à superis sibi parari non ruinam declamat, præsertim miro in Cælis comparente phænomeno, nempè manibus Coronam caveæ similē tenentib9, voce personante, has manus Henrico parare *Cor:* ultimas voces āéria non expressit echo sed ambiguas reliqvit. Quamobrem Coronam non certem feralem sibi fabricari autumans Henricus, investigat optico tubo, cujûsnam illæ manus essent, ac tum ex annulo igneo de digitis delabente cælitus, Lotici manus esse intelligit & annulum agnoscit qvem antea eidem donaverat,

SCENA 2. Addicti Lotico Primores aulæ Frantoslaus & Zdradzimirus conclamant fidum esse Duci Loticum, illiûs manibus teste cælo Coronam Imperij deferendam Henrico: ut è vinculis igitur solvat ac in pristinum gradum benemeritum Heroem restituat persvadent. Legati Glogovienses olim contumeliosè tractati clàm redeunt, Aucupem induti habitum ac Loticum Caveis elaborandis insudantem conveniunt, cum eoq; de sumenda vindicta consilium ineunt.

SCENA 3. Loticus dignitati restitutus Henricum ad solitas Aucupij delicias invitat; Dux interim Bacchanali aucupio indulgere statuens, volubilem in torqve pateram veteri Polonorū more producere jubet, eamq; plenam generoso liqvore circumvolitare Convivas mandat. Tandem hoc Bacchico aucupio lassatus Henricus obdormiscit: alij qvoq; commentales aucupes vix sui compotes præ crapulā Bacchi somno dant victas manus. Loticus, & quos pervigil Astus sobrios esse jussit, Zdradzimirus & Frantoslaus, ac Glogovienses Legati suspenso vestigio ne prædam excitent diu destinatam, aucupium auspicantur: Henricum ligatum Caveæ ad id paratæ includunt, cæteros retibus, cassibus involvunt, ac sonantissimum clangorem excitant.

SCENA 4. Excitantur infelices Aves tam acuto sonitu, sed serò; suis iam captæ retibus. Imprimis Henricus, dum se Caveæ inclusum advertit, furit, insultanti Lotico extrema minatur, sed ubi vanas iam esse minas intelligit, supplici prece delinire conatur, at in cassum, postquam *incidit in casses ebria præda suos*

SCENA 5. Accurrit ingenti clamore è suis lustris excitus *Lasomieszkus* indolet capto Duci, & fatale illud lemma iam clarè explicat H. D. L. C. I. *Henricus Dux Ligatus Caveæ Includetur.* Ostendit qvoq; palam delineatam illam Coronam feralem fuisse Caveæ imaginem: Glogoviensem Ducem à *spinis* dictum tristè per suos Legatos ac Lotici dolos instituisse Aucupium.

SCENA 6. Demúm retibus impliciti combibones trucidantur. Henricus ex Aucupe iam infortunata Avis, unà cum sua Cavea tollitur, sparso grano illuditur, *Ridentis Populi non humilis iocus*, ac ut graviora luat ad Conradum deportatur identidem repetens: *O Surda Cautes Crapula, hanc Caveam Cave*

EPILOGUS

Jgneam Gehennalis Æternitatis Caveam repræsentat, in qvam unjûs calicis Aucupio multos deducit Luxûs Jllecebra.

AD

M. D. T. O. M. G. B. V. M. S. L. O. C. H. OO. SS.

Veneratinem.



G Skordakowski SJ.